LITERAE S.D.N. PAULI PAPAE 5. SUPER FACULTATE APERIENDI BANCUM PRO DEPOSITIS...

Ospedale di S. Spirito in Sassia, Paulus 5.>

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLVS PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

A PONTIFICATVS noſtri primordio clamores, quos à multis annis citra in hac Alma Vrbe noſtra à Viduis, Pupillis, locis Pijs, & Curialibus, qui eorum pecunias ob decoctionem Mercatorum, & publicorum Capſorum amiſerunt, vel eas cum maxima iactura, & non ſine ingentibus expenſis mediante diſcuſsione bonorum recuperare nituntur intelleximus, ita mentis noſtræ dolores excitauerunt, vt cum hæc notabile damnum rei priuatè, ac publicè attulerint, & afferant eis aliquod remedium dare cogitauerimus, & proinde in Archihoſpitali noſtro Sancti SPIRITVS in SAXIA de eadem VRBE, quod bona ſtabilia magni valoris poſsidet, & in quo diuerſa pia opera in educandis infantibus expoſitis, ac curandis infirmis ibi recurſum habentibus, ac alijs quamplaribus exercentur; in eo etiam hoc pium opus exerceri poſſet publicum BANCVM Depoſitorum pro commoditate ibidem ſponte pecunias ſuas deponentium ad hoc, vt mediante obligatione bonorum dicti Archihoſpitalis pro dictis Depoſitis indemnitati deponentium tutè prouideatur erigere, & inſtituere duximus, dictoq; negocio, etiam diu pro indemnitate dicti Archihoſpitalis cum dilecto filio Octauio Taſſono illius moderno Præceptore, ac alijs probis, & expertis viris examinato ipſi in eam, vt ex præmiſsis magna dicto Archihoſpitali reſultaret vtilitas deſcenderunt ſententiam ſi eidem Octauio Præceptori partem dictarum pecuniarum, vt præfertur, deponendarum in emptionem locorum Montium non

Cauſa erectionis Banchi.

Hoſpitale S. Spiritus diuerſa opera pia exercet.

Digitized by Google

vacabilium, quæ ſemper, & illico pro commoditate ſuas pecunias repeten. in euentum illarum repetitionis pecunia numerata deficiente in promptu eſſent, & vendi poſſent conuertendi facultatem concederemus, & auctoritatem. Nos igitur in ſupremo Militantis Eccleſiæ ſolio diuina diſpoſitione conſtituti ad ea per quæ publicè, & priuatè vtilitati, dictæq; Vrbis Curialium, & aliarum perſonarum indemnitati valeat ſalubriter prouideri libenter intendentes. Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed

Conceditur facultas Hoſpitali aperiẽdi Bãchũ depoſitorum adminiſtrandum à capſerio eiuſdem Ordinis profeſſo.

ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in dicto Archihoſpitali, & loco inibi, vel alibi, prout melius videbitur ad publicam commoditatem deputando vnũ BANCVM perpetuum Depoſitorum nuncupandum per Capſerium, & alios illius Miniſtros, qui Ordinem Sancti SPIRITVS ſub Regula Sancti Auguſtini, cuius dictum Archihoſpitale exiſtit profeſsi fuerint, regendum, & gubernandum, in quo omnes, & ſingulæ pecuniarum ſummæ, etiam

Depoſita fiẽt gratis.

cuiuſuis quantitatis exiſtentes ab eas deponere volentibus gratis, & abſque aliqua pecuniarum, etiam minimè partis, à dictis perſonis pro huiuſmodi depoſitis exactione deponantur, & tutè conſeruentur, ſine aliquo præiudicio Montis Pietatis de Vrbe, perpetuò erigimus, & inſtituimus. Illoq; ſic erecto, & inſtituto, vt illud aliquo ſeruato ordine rectè, & fœliciter ad quorumcumq; ſatisfactionem adminiſtretur, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in dicto Archihoſpi-

Vna capſa tribus clauibus obſeranda, & in Camera Præceptoris conſeruanda pro dictis depoſitis ſeruandis fiat.

tali vna capſa in Camera prædicti Octauij, & pro tempore exiſtentis dicti Archihoſpitalis Præceptoris conſeruanda, in qua pecuniæ prædicti BANCHI reponantur, conficiatur, eaq; tribus differentibus clauibus, quarum vnam dictus Præceptor, aliamq; prædicti Archihoſpitalis domus Magiſter, & reliquam claues huiuſmodi dicti BANCHI Theſaurarius, ſeu Capſerius pro tempore exiſtentes habeant obſerretur, ac Præceptor, necnon Magiſter Domus, ac Theſaurarius, ſeu Capſerius prædicti dictam capſam coniunctim, & non ſeparatim, ac de per ſe, aut vnus abſque alio aperire, nec alter al-

teri

teri clauem ſuam confidere, aut accommodare. Minusvè pecunias in dicto Banco pro tempore exiſtentes, aut etiam minimam illarum partem, ſeu quantitatem ad alios quantumuis neceſſarios, & vtiles vſus, quàm in emptionem Locorum Montium non vacabilium huiuſmodi conuertere, aut ſuper eis etiam pro vrgentiſsimis ipſius Archihoſpitalis neceſsitatibus, ſub pœna illorum nullitatis aliquos contractus inire, aut conficere poſsint, nec debeant, ac perinde dictæ pecuniæ à pecunijs ex redditibus dicti Archihoſpitalis prouenientes, ne in alios, quàm prædictos vſus conuertantur, aut inuicem confundantur ſeparentur, & in dicta capſa ad hoc, vt promptæ pecuniæ occurren. eas dietim repeten. neceſsitatibus habeantur, quædam, eaq; conueniens pecuniarum quantitas ſemper, & continuo conſeruetur, & ob id bis mille ſcuta circiter in manibus dicti Theſaurarij, ſeu Capſerij pro quotidianis minoribus ſolutionibus faciendis dumtaxat reliquantur, itaut dum aliqua maior ſolutio facienda erit id ad prædicti Præceptoris, & Magiſtri Domus notitiam deueniat, ſemelq; ſaltem in hebdomada, & ſæpius, prout dicto Præceptori videbitur per Præceptorem, ac Magiſtrum Domus prædictos computa Depoſitorum tunc factorum ad hoc, vt à prædicto Theſaurario, ſeu Capſerio pecuniæ ſi plures quàm opus fuerit, habuerit auferantur, & in capſa, vt ſupra reponantur, aut ipſi aliæ pecuniæ, prout temporis exigerit neceſsitas tribuantur reuideantur. Dictusq; Præceptor quolibet anno nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtẽtem de emolumentis præmiſſorum occaſione factis certiorare, & notificare teneatur, dictæq; capſæ computa ſingulis ſaltem tribus Menſibus, vel aliàs, prout etiam expediens videbitur dicto Præceptori pro tempore exiſtenti ab vniuerſa dicti Archihoſpitalis Congregatione qualibet hebdomada coram dicto Pręceptore cum interuentu non ſolum principalium illius Officialium, verumetiam Procuratoris, ac Aduocati, & Notarij fieri ſolita reuideantur. Quodq; ipſius BANCHI Capſerius pro tempore exiſtens, ac Pręceptor, & Magiſter Domus, ſeu alij

Hoſpitale non poſſit pecunias depoſitatas in quoſuis vſus, etiam vrgentiſſimos conuertere.

Pecuniæ deponendæ ſeparatim à pecunijs, & redditibus Hoſpitalis ſeruentur.

Computa ſemel ſaltem in hebdomada per Præceptorem, & Magiſtrum Domus reuideantur, vt pecuniæ in capſã reducantur.

Quolibet anno certioretur Romanus Pontifex de ſtatu d Bãchi.

Singulo trimeſtri in Congregatione ſolita fieri in dicto Hoſpitali computa reuideantur.

Digitized by Google

Prohibentur Cābia, & omne genus negociationis.

Miniſtri Cambia, Recambia, Incertas, Dittas, Cedulas, & nullum aliud genus negociationis exercere, ſeu admittere poſsint, ſed prædictus Theſaurarius, ſeu Capſerius dicti Banchi merus Depoſitarius eſſe, nec de dictis pecunijs diſponere, aut illas in alios vſus, quàm locorum Montium emptionem & vſus huiuſmodi conuertere debeat, & libris, in quibus prædicta depoſita deſcribentur eadem prorſus fides in iudicio, & extra iudicium adhibeatur. Quodq; partitæ ex dictis libris extractæ, & à Præceptore, ac Magiſtro Domus, necnon Theſaurario, ſeu Capſerio prædictis, vel duobus ex ipſis ſubſcriptæ in iudicio, & extra fidem faciant, perinde, ac ſi parte citata, & cum decreto Iudicis extràctæ fuiſſent, dictusq; Theſaurarius, ſeu Capſerius, & quicumq; alij dicti BANCHI Miniſtri ad omnem dictorum deponentium, vel intereſſe habentium requiſitionem partitas ex dictis libris depoſitorum huiuſmodi ad effectum exhibendi in iudicio, & extra illud pro creditorum ſuorum conſequutione, vel alia opportuna probatione tradere, & extrahere. Ac pro huiuſmodi pecunias deponentium ſecuritate quæcumq; dicti Archihoſpitalis immobilia, mobilia, ac ſe mouentia, bona in ampliori Cameræ, & quacumque alia iuris valida forma obligata, & hypothecata ſint, & intelligantur, illaq; ſic obligata, & hypothecata exiſtant, dictiq; deponentes ad illa promptam, & paratam executionem, ac ſi Inſtrumenta publica obligatione Camerali vallata eſſent habere, & in euentum non reſtitutionis pecuniarum ab eis pro tempore depoſitarum dictorum bonorum realem, corporalem, & actualem poſſeſsionem, ſeu quaſi abſque vitio ſpolij, & attentatorum, ac alicuius Iudicis, ſeu Curiæ decreto, vel mandato pro concurrenti pecuniarum eis tunc reſtituendarum quantitate apprehendere, & apprehenſam continuare, & retinere, illaq; quibuſuis perſonis ſub quibuſcumq; pactis, & conditionibus, & precio ſibi beneuiſis locare, & arrendare, ac illorum fructus, & emolumenta percipere, exigere, leuare, dictaq; bona vendere, & alienare, ac de eis liberè diſponere poſsint, & valeant. Quodque

Partitæ extractæ ex libris d. Bāchi in iudicio, & extra fidem faciant.

Pro dictorum Depoſitorum ſecuritate omnia Hoſpitalis bona ſint obligata.

pecu-

pecuniæ in dicto BANCHO pro tempore deponendæ quamdiu in eo fuerint à quoquam cuiuſuis crediti occaſione ſequeſtrari non poſſint, & quocumque ſequeſtro non obſtante prædictus Capſerius ad omnem & ſimplicem illorum, qui eas depoſuerint requiſitionem eis etiam abſque aliqua pœna, & periculo iteratæ ſolutionis ſoluere, & reſtituere poſsit, & valeat, itidem perpetuò ſtatuimus, & ordinamus. Et pro præmiſſorum inuiolabili obſeruatione dicti Archihoſpitalis Præceptori, ac Magiſtro Domus, necnon ipſius BANCHI Theſaurario, ſeu Capſerio, alijsq; illius Miniſtris, & perſonis, ac quibuſcumq; alijs ad quos nunc ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, quoſque dictum negocium tangit, aut tangere poterit quomodolibet in futurum, ne vltra aliàs pœnas, à iure communi inflictas ſub priuationis quorumcumque beneficiorum & officiorum per eos pro tempore obtentorum, ac inhabilitatis, & alia in poſterum obtinenda, ac etiam perpetuæ infamiæ, necnon excommunicationis maioris latæ ſententiæ à qua non niſi à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore exiſtente, ac in mortis articulo abſolutionis beneficium conſequi poſsint, ipſo facto incurrenda pœna præmiſsis in totum, vel parte contradicere, aut ab eis, ſeu illorum aliquo quouis prætextu, cauſa, vel occaſione recedere audeant, ſeu præſumant, ſed ea, ac eorum ſingula inuiolabiliter, & inconcuſſæ obſeruare, & adimplere, ac ab alijs quantum in ſe erit obſeruari, & adimpleri mandent, & faciant. Itidem perpetuò præcipimus, & mandamus, dictiq; Archihoſpitalis Præceptori, & alijs illius Miniſtris prædictis, quod prædictas pecunias pro tempore, vt præfertur, deponendas, ſeu earum partem in emptionem tot locorum Montium non vacabilium, ad hoc, vt illarum reſtitutionis tempore adueniente dicta loca quanto citius vendi, dictæq; pecuniæ, quibus debentur reſtitui poſsint conuertere, & fructus ipſo interim ex eis prouenientes percipere, exigere, & leuare, ac in dicti Archihoſpitalis vſus, & vtilitatem conuertere, Quodq; pro fœlici, & ſalubri dicti Banchi, ac illius perſonarum, & rerum

Pecuniæ dum penes dictum Banchum ſunt depoſitatæ, nõ poſſint ſequeſtrari.

Pœnæ contra Præceptorem & alios Miniſtros contrafacientes.

Sit facultas Præceptori, & Miniſtris partem dictarum pecuniarum in emptionem locorum Montium non vacabilium conuertere.

ſua-

Digitized by Google

Præceptor, & Miniſtri ſtatuta & ordinationes pro fœlici gubernio facere poſſint.

ſuarum regimine, & directione quæcumq; ſtatuta, & ordinationes, Capitula, & decreta, licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non contraria condere, & quoties ſibi opportunum videbitur condita mutare, alterare, & declarare, ac pro eorum arbitrio edicta publicare, imprimi, & affigi facere, ac ſubſcribere, aliaq; in præmiſsis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna facere, dicere, gerere, & exequi poſsint, & valeant, ſimiliter perpetuò concedimus, & indulgemus. Decernentes præſentes, & deſuper conficiendas literas, de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, ſeu inualidari, aut ad viam, & terminos iuris reduci, ſeu in ius, vel controuerſiam vocari, aut aduerſus eas quodcumq; iuris, & facti, vel iuſtitiæ, aut gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus vnquam poſſe, ſed illa ſemper, & perpetuò validas, & efficaces fore, & eſſe, ac ab omnibus ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit inuiolabiliter obſeruari debere, ſicq; ab omnibus, & ſingulis cenſeri, & ita per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper præmiſsis à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non poſſit dici de ſubreptione, & obreptione, vel defectu intentionis.

Clauſula ſublata.

Clauſulæ derogatoriæ.

Non obſtantibus præmiſsis, necnon felicis recordationis Pauli Secundi, & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, quatenus opus ſit, alijsq; Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon etiam dictorum Archihoſpitalis, & ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate, alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, Priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Archiho-

chiho-

Digitized by Google

chihoſpitali, & Ordini, eiusq; Præceptori, ac Superioribus & perſonis ſub quibuſcumq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſsis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſsis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die xiij. Decembris 1606. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLVS PAPA V.

AD perpetuam rei memoriam. Nuper ex cauſis tunc expreſſis in Domo Archihoſpitalis noſtri Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe, & loco ibidem, vel alibi, prout melius videretur, ad publicam commoditatem deputando, vnum Banchum perpetuum (Depoſitorũ) nuncupandum per Capſerium, & alios illius Miniſtros, qui Ordinem Sãcti Spiritus ſub regula Sancti Auguſtini, cuius dictum Archihoſpitale exiſtit, profeſsi forent, regendum & gubernandum, in quo omnes & ſingulæ pecuniarum ſummæ, etiam cuiuſuis quantitatis exiſtentes ab eas deponere volentibus, gratis, & abſque aliqua pecuniarum, etiam minimè partis à dictis perſonis pro huiuſmodi depoſitis exactione deponerentur, & tutè conſeruarentur, ſine aliquo præiudicio Montis Pietatis de Vrbe perpetuò ereximus, & inſtituimus, & inter alia voluimus, ne ipſius Banchi Capſerius, ac Præceptor, & Magiſter Domus, ſeù alij Miniſtri cambia, recambia, incettas, dittas, cedulas, aliudve genus negociationis exercere, ſeù admittere poſſent, prout in noſtris deſuper in forma Breuis ſub data die xiij. Decembris M. DC. VI. Pontificatus noſtri anno primo expeditis literis pleniùs continetur. Cùm autem ſicut accepimus, executio erectionis dicti Banchi Depoſitorum difficilè inueniatur, eo quòd in prædictis literis, eiuſdem Banchi adminiſtrationem per Fratres profeſſos eiuſdem Archihoſpitalis fieri debere ordinatum fuit, & in ipſo Archihoſpitali tot Fratres profeſſi, qui habiles ſint ad exercendum totum negotium huius Banchi non adſunt. Et præterea quoniam in dictis literis per cedulas negociatione exercere, ſeù admittere prohibuimus, nonnulli dubitant, an depoſita per cedulas, & literas accipere, & reddere, ſeu transferre pecunias in aliam perſonam, aut Banchum, præterquàm actuali numeratione liceat, quod ſi neceſſarium eſſet, magno cum incommodo tàm prædicti Banchi, quàm Deponentium pecunias fieret: Nos itaq;

vt

Digitized by Google

vt erectio prædicti Banchi Depoſitorum executioni faciliùs demandari poſsit opportunè prouidere, ſimulq́; deponentium commoditati proſpicere cupientes, ac prædictarum noſtrarum literarum veriorem totum tenorem præſentibus pro expreſſo habentes; Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac mera deliberatione, dilecto filio Octauio Taſſono moderno & pro tempore exiſtenti dicti Archihoſpitalis Præceptori, vt nunc & deinceps perpetuis futuris temporibus Miniſtrorum ſæcularium opera in eiuſdem Banchi miniſterio ad eorum arbitrium, & nutum vti liberè poſſit, & valeat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus; Capſerijs verò, alijsq́; Miniſtris eiuſdem Banchi pecunias Campſoribus, & alijs, iuxtà opportunitatem, & commoditatem per literas,& cedulas ſoluere,& transferre, ſeu girare, vt alij publici Campſores facere ſolent, licitum fore, abſque tamen vlla negociatione, ſed ad effectum ſolum, & occaſione depoſita prædicta accipiendi, vel reddeñ, aut Montiũ loca, prout in præfatis noſtris literis permittitur, emendi, tenore præſentium declaramus, & quatenus opus ſit,opportunam ad hoc eis quoq; licentiam, & facultatem impartimur. Non obſtañ præmiſſis, necnon omnibus illis, quæ in eiſdem literis voluimus non obſtare, cæterisq́; contrarijs quibuſcũque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die xj. Iunij. M. DC. VII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Scipio Cobellutius.

Digitized by Google